

Q. N. 352, 13.

II f.  
1365

DE  
MAGNITVDINE ANIMI  
QVAE  
CERNITVR IN ADVERSIS REBVS  
DISPVVAT  
BENE REI SCHOLASTICAE  
CVPIENTIBVS  
ACTVM ORATORIVM

IN  
SCHOLA NOVAE VRBIS AD DRESDAM

DIE VICESIMO QVARTO MAII  
POST HORAM SECVNDAM POMERIDIANAM

HABENDVM  
EA, QVA PAR EST, ANIMI OBSERVANTIA  
INDICATVRVS

M. GOTTHELFF EHRENFRIED BECKERVS

RECTOR.



FRIDRICOSTADII



PRELO HAGENMULLERI.





**V**era hominis felicitas cernitur in triplicis generis bonis, quorum nonnulla animum; alia corpus; & denique tertia externam hominis conditionem perficiunt. Prima illa bona iure prae reliquis principatum tenere censentur; a quibus secunda sunt ea, quae corpus nostrum attingunt; denique extrema, quae in rebus extra nos positae versantur. Quamquam igitur omnino fieri posset, ut homo omnium trium particeps eua-deret bonorum: tantum tamen abest, ut is vllibi inueniatur ab omni parte beatus, ut ne quispiam quidem sit, cui vnum horum bonorum genus perfectum atque absolutum obtigisset. Quum proinde tam angustis circumscripta sit limitibus hominis felicitas: ii recte egerunt, qui egregio anquifuerunt studio, quae horum bonorum necessaria? quae, contra, modo vtilia? porro quorum parandorum nobis a Deo copia facta sit? & quae non nostrae sint potestatis? Iraque videntur, partem bonorum animi in hominis potestate esse sitam; quum contra vniuersa corporis & fortunae bona alieni sint arbitrii; itidem perspexerunt, nullam prorsus felicitatis partem relinqui ei, qui animi bonis destitutus est; contra, egregiis mentis dotibus insignem animo tranquillo & composito, qui est apex humanae felicitatis, uti posse, li-

cet etiam aliqua corporis imperfectione laboret; neque iis externis rebus adfluat, quas fauatrix fortuna largiri solet.

Bona vero illa animi, quae vel sola sufficiunt ad felicitatem nobis parandam, sunt sapientia & virtus. Sapientiam hic ex mente Cicero- nis accipimus; qui rationem, quae adoleuit, & perfecta est, hoc nomi- ne esse dignam censet. (\*) Virtus autem nobis est, quum quis *δρμην* animi sui ita attemperat, prout sapientia iubet. Quodsi itaque quis vtriusque hujus boni particeps factus est: beatus erit praedicandus, licet non beatissimus. Ergo, quum in cuiusque hominis facultate positum sit, vtrumque hoc bonum consequi; in ejusdem quoque situm erit po- testate, beatitatem adipisci.

Quod vero attinet ad ea bona, quae corpus perficiunt; & quae fortuna nobis largitur: ea, profecto, nostrae non sunt potestatis. Pos- sunt tribui; possunt rursus nobis auferri; &, omnino, etiam iis ita ca- rere possumus, vt nunquam nobis concessa fuerint. Quum itaque bo- na corporis & externae conditionis in eo conueniunt, vt ab hominis voluntate non pendeant; sed extrinsecus nobis praebeantur: vtrumque, vnico bonorum fortunae vocabulo, complectar.

Hoc autem, haud abs re erit, monere; sapientiam & virtutem ne- cessariam esse, tum si res nobis ex voto fluunt; tum si restat fortuna, & contra animi sententiam omnia eueniunt: illic, vt, sapienti rerum se- cundarum vsu, felicitas nostra corroboretur confirmeturque, & omne malum euitetur, ex abusu earum redundaturum; hic, vt cohibeamus animum ab tristitia, nec quidquam, vegetam vim mentis seruantes, praetermittamus, ad duram hanc sortem, quantum humano consilio  
effi-

(\*) De legibus l. I. p. m. (editionis Schreuelianae) 1244. b. Quid est au- tem non dicam in homine, sed in omni coelo atque terra, ratione, diui- nius? quae cum adoleuit & perfecta est, nominatur rite sapientia.

effici potest, in melius mutandam. Ejusmodi providentia ac cautio, quam sapiens aduersus fortunam, malam juxta atque bonam, adhibet; animi magnitudo adpellari adsolet. Cujus ego partem, nempe, quae in aduersis cernitur rebus, paullo penitius rimari decreui. Luctuosa, profecto, nostra tempora, quorum extremam miseriam omnes conquerimur, satis mihi praebent caussarum; cur hanc potissimum scribendi materiam elegerim: & simul justam adferent excusationem, si opus, viribus meis majus, cuiquam suscepisse forte videbor.

Haec autem dicendorum a me erit summa: primo sedulus annitar, vt ex quibus partibus animi magnitudo, in aduersis demonstranda rebus, consuetur, liquido ostendam: deinde, digito indice, viam commonstrabo, quae ineunda est, si magno atque intrepido animo duram perferre sortem cupimus. Scio equidem, posse multa alia adhuc rerum momenta de magnitudine animi, ad plenam ejus doctrinam tradendam, excuti; & ipsa illa, quae mihi materiam hujus scriptionis constitui, vberius multo & copiosius explanari: sed prohibent id, partim plagularum angustiae, quas efficacissime imperat penuria sumtuum, qui in ipsas erogari possunt; partim prouincia laborum plenissima, mihi demandata, quae nonnisi paxillulum temporis mihi, ad ejusmodi cogitationes, facit reliquum.

Ante omnia monere opus mihi esse videtur, praeter, veram animi magnitudinem, quae in aduersis rebus adparet, dari duo ejus simulacra, quae formam & speciem fortitudinis falso sibi induerunt: altera est leuitas animi, quae mentis quadam imbecillitate prohibetur, quo minus malorum grauitatem perspiciat, eorumque sensu tangatur: altera peruicacia, qua quis, desperatione ductus, obtundit mentem, & occallefcit aduersus iniquam sortem, ejus propulsandae improuidus. Vtrumque insigne est vitium, nec pro magnitudine animi, quae est vna



maximarum virtutum, habendum; vtrumque etiam nos maioribus multat malis; nedum, vt iis nos liberet. Ceterum in eo adsimulantur magnitudini animi, quod non nisi leuem malorum sensum percipiant: quum, contra, in eo infinitis ab ea interuallis distent; quod vera & constanti tranquillitate & securitate animi, quae fortitudinis propria est, careant.

Diuerticulis proinde, in quae, veri specie deceptus, abripi solet humanus animus, monstratis: ipsam nunc exordiamur rem. Intendenti autem mihi ingenii aciem ad indagandam virtutis, quam disputamus, naturam, duae in primis res eam constituere atque efficere videntur. Prima est vacuitas ab angoribus, ex sensu malorum coortis: altera est praesentia mentis ad investigandam viam ac rationem, qua iniqua fortuna vel prorsus propulsari, vel certe ejus vis atque impetus moliri ac frangi possit. Quisque enim, credo, mihi adsentietur, hominem, aduersis rebus impeditum, magno atque excelsio animo esse praeditum: si tum aequo animo eas sustinet; tum mentem liberam tenet ad peruidendum, vbi pateat exitus ex hoc labyrintho. Quando vero dicimus, sapientem vacare angoribus debere: non, id dictum, volumus, ac si is, trunci ac stipitis instar, omnis malorum sensus expers esse debeat. Hoc absouum est, imo ipsi repugnat sapientiae. Nam, quum sapientia sit adulta ac perfecta ratio; vti ipsam, auctorem secuti Cicero- nem, recte, opinamur, finiuius: „ratio autem, eodem Cicero- te, „ste (\*) sit mens acris & vicens & celerrime simul multa agitans; quae „& causas rerum & consecutiones videt; & similitudines transfert; & „disiuncta coniungit; & cum praesentibus futura copulat; omnem- „que complectitur rei consequentis statum: „sapiens, credo, etiam necessario acri sensu gaudebit: acer autem sensus sine motu animi ne  
cogi-

(\*) De finibus l. II. p. m. 1064. b.

cogitari potest: ergo motu animi neutiquam vacabit sapiens: nec, proinde, etiam illo carebit, quum aduersa in illum irruet fortuna. Res autem longe se aliter habet cum illis vehementibus ac turbulentis animi commotionibus, quae animum inflammant; vim mentis retundunt; & corpus ipsum peste quadam inficiunt: hae longissime absunt ab sapiente necesse est. Nam, vbicunque illae grassantur, vitae beatae nullam relinquunt partem. Enucleate de hisce perturbationibus animi disputat Cicero, philosophos secutus in primis Stoicos. (\*) Nam, postquam, ex Platonis Pythagoraeque sententia, animum in duas partes diuisit, quarum altera rationis particeps; altera ejus sit expers: fontem ostendit, ex quo tum ἡδῆ, tum πᾶθη, prono quasi alueo, profluant. Nam a parte animi, rationis particeps, proficiscuntur lenes & compositi animi motus, quos tranquillitatem seu placidam quietamque constantiam adpellat: contra, ab ea parte, quae rationis est expers, exaestuant motus animi turbidi. Horum posteriorum quatuor statuit partes: quarum duae ab opinatis bonis; & totidem ab opinatis malis nascantur: illae sunt laetitia & libido; hae aegritudo & metus. Singulis complures ejus generis partes alias subijcit; vt te docebit formula ista, quam hic, ex Ciceronis mente, tradam:

*Intemperantia seu ea pars animi, quae rationis est expers,  
quae versatur in opinatis bonis*

<i>libido</i>		<i>laetitia</i>	
<i>ira</i>	<i>indigentia</i>	<i>maluolentia laetans</i>	<i>delectatio</i>
<i>excandescencia</i>	<i>desiderium</i>	<i>malo alieno</i>	<i>jaectatio</i>
<i>odium</i>	<i>&amp;c.</i>		<i>&amp;c.</i>
<i>inimicitia</i>			
<i>discordia</i>			

*Intem-*

(\*) Tuscul. Quaestio. l. IV. p. m. 1141. seqq.



*Intemperantia seu ea pars animi, quae rationis est expers,  
quae occupatur in opinatis malis*

<i>metus</i>			<i>aegritudo</i>		
<i>pigritia</i>	<i>pudor</i>	<i>terror</i>	<i>invidentia; misericordia;</i>	<i>angor</i>	
		<i>timor</i>	<i>aemulatio</i>	<i>moeror</i>	
		<i>pavor</i>	<i>obrectatio</i>	<i>aerumma</i>	
		<i>exanimatio</i>		<i>dolor</i>	
		<i>conturbatio</i>		<i>lamentatio</i>	
		<i>formido</i>		<i>solicitudo</i>	
		<i>&amp;c.</i>		<i>molestia</i>	
				<i>adspiciatio</i>	
				<i>desperatio</i>	
				<i>&amp;c. (*)</i>	

Sopitorum animi motuum tres duntaxat, Stoicis adstipulatus, facit partes, partibus perturbationum modo memoratis, aliqua ex parte, conformes. Nam laetitiae loco succedit in sapiente gaudium: pro lubricitate ipsi voluntas inest: & denique pro metu, qui insipientes incessit, ab eodem cautio adhibetur. Credunt itaque Stoici, aegritudini, τῷ πάθει, nullum profus in sapiente ἦθος respondere. Sed in promptu sunt cautiones, ex quibus erroris coargui possunt. Nam, primo, sapienti concesserunt gaudium; qui est jucundus animi motus, a bonis non opinatis, sed veris, quorum compos factus est sapiens, profectus: ergo etiam huic jucundo animi motui contrarius motus erit, a malis, non opinatis, sed veris, originem suam sumens. Deinde, si sapiens malorum euitandorum cautionem adhibet: ejus, profecto, animus non omnis motus erit expers, si mala, quae studiose cauit, ipsum ferient. Et quid opus est verbis, ubi res ipsa loquitur. Hoc est humanitatem exuere: non aliqua, leni licet, animi commotione corripitur; si mala, quae uniuersa, tantopere refugit natura nostra, quasi agmine facta, in nos irum-

(\*) Singularum harum partium sat accuratas, uti nobis videtur, finitiones vide, sis, apud ipsum Ciceronem.



rumpunt. Et, quod si sapiens, malis circumuentus, omni ingrato animi *IV. ratio*  
 motu caret: cariturus etiam est eorum voluntate propulsandorum. Ma-  
 net ergo, sapientem composito & leni animi motu teneri, si mala eum in-  
 vadunt. Vt autem mens prohibeatur, quo minus perturbationibus suc-  
 cumbat: hoc opus, hic labor est. Circumspicienti igitur mihi rationem &  
 viam, qua commodissime & certissime ad illam tranquillitatem peruenire;  
 & turbidos atque inquietos animi motus in compositos ac lenes commuta-  
 re possimus, quatuor res id maxime efficere posse videntur. Prima est, vt  
 primis confestim principiis horum animi tumultuum obstemus. Quod si  
 enim non cauemus, vt, si primi nos invadunt, iis obuii eamus; & eorum  
 vim atque impetum edomemus: robur ipsorum eo magis inualefcet,  
 quo diutius mentem in transuersum rapuerunt. Nam, quantum hu-  
 jus decedet virtuti: tantum ipsorum adcrefcet viribus. Quum, con-  
 tra, initio forte ipsis opponimus pectus: eneruis atque elumbis ipso-  
 rum mox cadet impetus; quin prorsus intermoriatur. Id itaque mor-  
 dicus teneamus praeceptum; & ad id componamus mentem: vt, quam  
 primum morbo isto tentemur, ne vnquam medelam differamus, sed  
 eam statim adhibeamus efficacissimam. Altera res, quae aequum no-  
 bis comparare animum valebit, est, vt circumspiciamus, quidnam bo-  
 norum nobis fortuna fecerit reliquum. Nam, contemplandis iis, de-  
 liniemus mentem; saltem a malorum cogitatione auocabimus. Ne ve-  
 ro quis credat, se ita projectum; ita a Deo derelictum: vt nulla pror-  
 sus ex parte sibi consultum fuerit. (\*) Plerumque ita vsu euenit, ut

homo

(\*) Seneca l. IV. de beneficiis c. 4. verissime ait: Quis est tam miser; tam  
 neglectus; quis tam duro fato & in poenam genitus, vt non tantam Deo-  
 rum munificentiam senserit? Ipsos illos complorantes sortem suam & que-  
 rulos circumspice: inuenies, non ex toto beneficiorum coelestium exper-

tes;

B

homo omnium prope aliarum rerum magis gnarus existat, quam sui-  
met ipsius, & domesticorum bonorum, quae vel natura, vel fortuna  
ipsi tribuit. Vmbra plerique consecretur, quam si sumus adsecuti:  
demum comperimus, nos vanam atque inanem rem adpetiisse. Inte-  
rim ea bona, quae in manu nostra sunt, negligimus. Nec itaque mi-  
randum est, si plurima hominum pars quaerat quidem, per totam vi-  
tam, felicitatem; sed nunquam inueniat: quum caligant ad peruiden-  
dum, quid sit id, quod beatam vitam efficiat: imo, quum ipsi sua bo-  
na non norunt; & semper aliena, quae saepius ne in bonorum quidem  
numero haberi possunt, concupiscunt.

*Strenua nos exercet inertia; nauibus atque*

*Quadrigris petimus bene viuere. Quod petis, hic est;*

*Est Vlubris: animus si te non deficit aequus.*

Tertia res est, vt, in tranquillo rerum nostrarum statu, certissime per-  
suadeamus menti: quam inhonestum; quam sapientiae contrarium sit,  
turbulentis jactari animi commotionibus. Recte enim egerunt philo-  
sophi, qui, vti supra audiimus, fontem earum partem animi, rationis  
expertem censent, quum, sane, belluas, ratione carentes, iisdem teneri, in  
propatulo est. Quam turpe itaque; quam inhumanum est, belluarum  
similem euadere; &, per aliquod tempus, ipsa humanitate excidere!  
Id si versauimus mente nostra adcurate: profecto, in memoriam redi-  
bit tum; si in periculo sumus, iis conturbari. Non possum mihi  
temperare; quin locum quemdam Ciceronis, licet paullo longiorem,  
hic repetam: „Ad ferendum dolorem, inquit Cicero, (\*) placide & feda-  
„te: plurimum proficit, toto pectore, vt dicitur, cogitare; quam id  
„honestum sit. Sumus enim natura studiosissimi, appetentissimique  
„honestes;

neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte ma-  
nauerit.

(\*) 2 Tuscul. p. 1127.

„ honestatis: cujus si, quasi lumen aliquod, adspexerimus; nihil est,  
 „ quod ut eo potiamur, non parati sumus, & ferre, & perpeti. Ex  
 „ hoc cursu, atque impetu animorum ad veram laudem atque honesta-  
 „ tem illa pericula adeuntur in proeliis: non sentiunt viri fortes in acie  
 „ vulnera: vel sentiunt; sed mori malunt, quam tantummodo de digni-  
 „ tatis gradu demoueri. Fulgentes gladios hostium videbant Decii;  
 „ cum in aciem eorum irruebant: hic leuabat omnem vulnerum me-  
 „ tum nobilitas mortis, & gloria. Num tum ingemuisse Epaminon-  
 „ dam putas; quum vna cum sanguine vitam effluere sentiret? impe-  
 „ rantem enim patriam Lacedaemoniis relinquebat; quam acceperat  
 „ feruentem. Haec sunt solatia; haec fomenta summorum dolorum.“  
 Tandem quarta res est, quae cum superiori arcto connectitur vinculo:  
 ut saepius agitemus mente; quam, istis ipsis turbulentis animi jactati-  
 onibus, res nostrae magis exulcerentur; quam leuentur. Multi, fa-  
 ne, ex turbidis rerum aduersarum fluctibus enatauissent facile: nisi ner-  
 uos, ad id faciendum, sibi ipsis incidissent, indulgendo dolori. Quem  
 enim fugit; quam res noxia, & deuastatrix omnis felicitatis sit pertur-  
 batio animi? Ut enim omittam; quam valetudini hominis sit pestifera;  
 quam omnem mentis vigorem hauriat, atque absumat; tantum, id me-  
 cum quisque expendat, velim: quod ejusmodi vehemens mentis agita-  
 tio ipsa illa infelicitas sit, qua nos affligi, querimur. Neque enim  
 externae illae res infelicitatem, per se, efficere possunt. Nam, quod  
 si ita esset; semper eam efficerent: cui tamen rei refragatur experien-  
 tia. Sunt tantummodo instar venti, qui ignem, cineri suppositum,  
 exsuscitat; &, ut flammam concipiat, efficit. Ergo materia omnis ma-  
 li, quo nos excruciarum credimus, in nobis jam residet: & casus & even-  
 tus fortunae modo occasionem praebent; ut ea, antea composita, in  
 motu ponatur; & sic vim suam expromere possit.



Altera pars magnitudinis animi est; vt mens, licet leni aliquo motu correpta fuerit, vegeta atque intenta maneat ad consilia exquirenda: quibus vel mala profus tollantur; vel, saltem, eorum vis debilitetur infringaturque. Id quamquam difficillimum est; in eodem tamen omnis huius virtutis splendor positus est. Nam quantam non rapimur in admirationem; si mediis in malis hominem adeo erecti atque excelsi animi videmus: vt, tranquillus atque securus, sapientis gubernatoris instar, quem ipsa, tempestatibus quassa, ac prope fracta, nauis non in terrores conjicit, salubria partiatur consilia? Quo igitur difficilius; eo & laudabilius. Enimuero causa & ratio, quae efficit, vt ipsis in malis praesentiam animi seruemus, vnice sita est in superiori parte. Nisi enim vacui sumus ab angoribus: mens vim suam, ad acquirendam rationem, qua fors tolerabilior effici potest, neutiquam retinebit. Nam, vt in vulgus notum est, omnes vehementes animi commotiones mentem confundunt; ipsiusque aciem obtundunt. Itaque prima opera in eo ponenda est, vt, quo minus nos, nec opinantes, animi perturbatio percellat, prohibeamus. Id si effecerimus: tunc in primis, ad quatuor rei momenta, acies mentis intendenda est. Primum est: vt ad accuratam malorum, quae nos vexant, cognitionem perueniamus. Nemo autem existimet: id praeceptum esse superuacaneum. Quis enim ignoraturus sit sortem, quam persentiscit? Sed, id fieri posse, innumera nos docent exempla; & anteceptae animo, falsae opiniones faciunt, vt formidemus saepius res; & tanquam malas, auersumur, quas plus commodi nobis attulisse, quam incommodi, euentus docet. Praeterea, si etiam vera mala nostra statim intelligimus: possumus tamen a vero aberrare, in magnitudine eorum & grauitate aestimanda. Igitur id tenemus: vt primo agitemus mente; quid sit reuera id, quo nos affligimur? deinde, qui verus & iustus modus ipsorum sit? Nemo enim est,

est, qui non intelligat: sine ejusmodi perspicientia, obscura nobis manere consilia, quae ineunda sunt, ad ejusmodi mala, si reuera talia sunt, auertenda. Quin veri etiam horum consiliorum fines nos fugient: si justis & aequis momentis mala isthaec ponderare neglexerimus. Alterum est, cui itidem, si res, aduersus animi sententiam, fluunt, speculando opera nauanda: vt in causas inquiramus; cur haec nobis euenerint mala? Nam, fontibus non obstructis, frustranea est opera: si riuos exsiccare cupimus. Causae autem, vel in nobis ipsis; vel in aliis, extra nos, siue hominibus, siue rebus; vel in vtrisque his, tum nobis, tum aliis, sitae sunt. Si nos ipsi auctores infelicitatis nostrae extitimus: penes nos etiam plerumque erit, eam propulsandi, facultas. Si in aliis: res quidem multo est difficilior: eo tamen quisque tum intentus esse debet; vt fortunae quam minimum in se liceat. Si in vtrisque culpa continetur: vtrumque etiam, quod iam diximus, faciendum est. Tertium est, id quod vel primarium esse videtur: an? & quomodo haec mala a nobis defendi possint? Quod ad prius attinet: si clare perspicimus; in nobis nullam vim esse sitam, ad auerruncandum prorsus hoc infortunium; remanet, vt cogitemus: quomodo leniamus; & initius reddamus ipsum. Id quod fit: si, licet non toto; tamen parte mali leuemur. Sin credimus; patere, omnino, exitum ex omnibus miseris his rebus: via, ac ratio isthaec inuestiganda est: sed ita, vt nos sedulo ab omni errore caueamus; ne, occaecati cupiditate, commutandi res, nos forte in multo profundiorum malorum voraginem demus praecipites. Porro, si etiam veram rationem extricauerimus, non nimia festinatione vtendum erit: ne forte, praepropero incitati impetu, ad extremum vertamus omnia; & itidem grauius pro minori arcessamus malum. Quemadmodum enim medici, querquera laborantes statim hoc malo liberare, grauibus impediuntur

causis: sic peraeque, ad vere salutarem medelam malorum inueniendam, iis, aliquantum temporis, exerceri sustineamus; tum demum vera salubritas redibit; & diutissime res nostrae erunt laetae. Tandem quartum, quod hic in considerationem venit, erit: cui bono haec ipsa mala, quibus affligimur, nobis esse poterunt. Nihil, profecto, adeo funestum, adeo graue malum est: quod non, si rite excutiat, aliquod parere commodum deprehendetur. Scimus enim, ipsum venenum, si aliis rebus scienter admisceatur, vel saluberrimam fieri medicinam. Ne itaque commoda incommotis; bona malis adfusa & immixta sapientem fugiant: neu falso sibi persuadeat, res duras suas sibi nulli prorsus fore emolumento. Potius mentis aciem intendat, ad bona, quae malis adhaerescunt, clare cognoscenda. Sic, velut apes ex herbis, gustu amaris, dulce mel exfugit, ipsis illis malis, tanquam instrumento, ad partem felicitatis suae parandam vtetur: & sic ipso in infortunio felicitatis aliqua parte frui poterit. Quod, profecto, animi vim confirmabit; & eum eo alacriorem reddet, ad quamcunque fortunam subeundam.

Posteaquam igitur has duas res, ex quibus magnitudo animi conflatur, considerauimus: restat, vt ad alteram scriptionis huius partem transeamus; quam vero, attingendo tantum summarum fastigia rerum, breuiter percurremus. Versabitur haec in indaganda ratione, quae inuenda est: si hanc animo magnitudinem conciliare cupimus. Caue enim, credas: animum adeo robustum ac firmum, quem ne vis quidem mali a statu suo dejiciat, sola a natura proficisci; neque quemquam, qui non ita natus sit, ejus compotem fieri posse. Nemo, profecto, licet felicissimae sit naturae, ita animo comparatus erit: nisi recta institutio & assidua exercitatio adcesserint. Cui enim obscurum

rum est, omnem; vel praestantissimam, naturam rudis & Impoliti ad-  
 mantis esse similem; nec, nonnisi adhibita doctrina & perpetua exerci-  
 tatione posse exsplendescere? Neu porro quis adeo abiecte de se sen-  
 tiat: vt, Deum ipsi naturam, quae ad mala toleranda adcommoda fit,  
 inuidisse, vanus arbitretur. Nam plerumque non natura nostra in vi-  
 tio est: sed nos ipsi corrumpimus naturam; nec, vt Quintilianus ait,  
*nos natura; sed cura deficit.* Nam, vti idem ille monet, „ sicut aues  
 „ ad volandum; equi ad cursum; ad saeuitiam ferae gignuntur: ita  
 „ nobis propria est mentis agitatio atque solertia; vnde origo animi  
 „ coelestis creditur. Hebetes vero & indociles non magis secundum  
 „ naturam homines gignuntur, quam prodigiosa corpora, & monstris  
 „ insignia.“ Quod enim hic de solertia generatim monetur: illud  
 idem de ea solertiae parte, quae cernitur in aduersis rebus; & quam  
 nos magnitudinem animi adpellamus, accipi & potest & debet. Itaque  
 conueniens est: vt homo, sapientiae studiosus, multo ante tempore  
 praeparet animum ac subigat; & arma ista componat, quibus instructus  
 vim & impetum fortunae excipere potest. Fit autem haec praeparatio  
 primo: si, quantum fieri potest, radicitus euellimus opinionem ani-  
 mis, tanquam in diuitiis; in honore; in dulci voluptatum sensu om-  
 nis hominum sita sit felicitas; & si res ceteras humanas despiciamus: ac  
 nos vna nostra inuoluere virtute, si fors ita ferat, satis habere, animo  
 constituimus. Quod si enim non tale propositum ceperimus: gra-  
 uissimi, si fortuna resiat, nostros animos exulcerabunt angores; &  
 iidem in causa erunt: vt confundatur mens; &, salutaribus excogi-  
 tandis consiliis, impar sit. Alterum, quod animos nostros maiores  
 faciet, est: vt, si secunda vtimur fortuna, non nos totos quasi immer-  
 semus deliciis; & voluptatibus veluti inebriemur. Nam molliori sic  
 & delicatulo viuendi generi adfuetis grauissime & molestissime mutatio  
 for-

fortunae cadet. Contra, si, in ipsis prosperis rebus, aduersae fortis memores vixerimus; & animum ab luxu, & immoderato voluptatum studio ad frugalitatem & laborum tolerantiam traduxerimus: leniter feremus inconstantiam fortis; dum, longe ante, mentem ad eam praeparauerimus. Igitur, si suda coeli est facies; cogitemus: turbidam mox & procellosam tempestatem ingruere posse: contra, si saeuit ventorum impetus; certissime speremus: eum non fore diuturnum; sed mox gratas vices habiturum.

*Nam fors incerta vagatur*

*Fertque refertque vices; Et habent mortalia casum. (\*)*

Tertium est, quod omnium fortissima nobis subministrat tela, vel ad prohibendam, vel ad vincendam fortunae saeuitiam: si nulli parcimus operae ac studio ad mentis nostrae vim excolendam; aciemque ipsi, quantam maximam, conciliandam. Nam, profecto, homo, qui ingenii valet viribus, etiam tum efficacissima in promptu habebit consilia, ad expediendum fortunae laqueis caput; quando in aliis hic fons profusus exaruisse videtur. Praeterea ejusmodi homo dulci, mediis in aduersae fortunae incommodis, perfunditur gaudio; quum recordatur: se mentis opes collegisse, quas nulla externa vis; non hostium impetus; non incendia; non naufragium ipsi eripere possint. Et nonne opera haec in mentis viribus excolendis, ipsas per calamitates, continuata animum auocat ab sensu malorum; jacentem erigit; desperantem spei implet? Quartum denique est: vt honestum vnice per vitam nostram consecutemur; & animum liberare ab omnibus istis aegrotationibus enixe studeamus, quae vitia adpellantur. Sic non multa in nostra vita patebunt, quae for-

(\*) Lucan. 2. 13.



fortuna feriat; & si quid aduersi eueniet, tam grauius cadere non poterit. Nam, quem praeterit, hunc murum esse aeneum.

*Nil conscire sibi; nulla pallescere culpa.*

Possent hic adhuc insuper per plurima addere, de quibus itidem is, cui animi magnitudo parum difficultatis praebitura, persuasus sit oportet; & quae locos illos & veluti fontes consolationum, quibus adfectos erigimus, recludunt. Sed partim, quia haec omnia πολυθρύλιτα & tralatitia sunt; partim me longis inuoluunt ambagibus, quas, quantum fieri potest, praecidere mens est; partim etiam jam superioribus quatuor praeceptis, quae omnium sunt prima, & sine quibus reliqua solatia, quanta quanta sunt, vana profus erunt ac futilia, continentur: idcirco missa haec facio, & pro se, cuique ea excutienda relinquo.

Venio igitur ad id, ob quod superius, quaecumque, opus peregimus. Tres videlicet, ex auditoribus meis, optimae spei iuvenes laudando tenentur desiderio, ut ipsis, primum ingeniorum suorum periculum publice facturis, audientia fiat. Quum igitur sciam, quam isthic ipsorum conatus sit honestus: certissimus hariolor, fore, ut tum *grauissimi scholae nostrae* INSPECTORES ac PATRONI (quantum per adhaerentem negotiorum molem, qua prope obruuntur, licet;) tum reliqui viri, quibus Musae curae cordique sunt, frequenti praesentia sua hunc adolescentum ardorem magis magisque accendant, inflamentque. Id quod ab ipsis reuerentissime decentissimeque etiam atque etiam peto atque contendo. Ordo autem oratorum hic erit:

**Joannes Adolphus Blumichenius**, Dresdensis, solertis ingenii adolescens, oratione Latina versa *causas inconstantiae fortunae* decantabit; quem sequetur

C

Joan-

Joannes Gotthelf Bretschneiderus, Liebštadiens. prorsus, itidem Latina, expositurus: *sapientis esse, aduersam aequo animo ferre fortunam.* Tandem

Christophorus Fridricus Vhlemannus, ex vico Sehnia, qui prope Annaebergam est; iuuenis Teutonicarum literarum, aliis studiis non omnino neglectis, amans, *imaginem aduersae fortunae* graphice depingere vernaculo sermone ligato studebit. Perscripti in schola nouae vrbs ad Dresdam X. Calendas Junias.

CLC IC CC LVII.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



DE  
VDINE ANIMI  
QVAE  
N ADVERDIS REBVS  
ISPVTAT  
SCHOLASTICAE  
IENTIBVS  
ORATORIVM

IN  
E VRBIS AD DRESDAM  
SIMO QVARTO MAII  
SECYNDAM POMERIDIANAM  
ABENDVM  
ST, ANIMI OBSERVANTIA  
DICATVRVS  
EHRENFRIED BECKERVS

RECTOR.  
DRICOSTADII  
HAGENMULLERI.

